

1596 stodiae Spalati, Clissae propinquae urbi, incumbendum statuit: cumque ejus adventu plerique conscientia territi, e proximis castellis dilapsi, intra montium recessus se abdidissent; ne præcipites desperatione subjectorum animi agerentur, maturitate & cunctatione utendum censuit; atque ita consilia expedivit, ut neque Turcis suspectus, neque a Cæsareanis alienus videretur.

*Clissa a
Turcis op-
pugnatur.*

At Turcae statim a Clissæ eventu octo peditum millia sub quinque præfectis coegerant; duo muralia tormenta a Salona perducta oppidi moenibus admoverant; verberationemque, exiguo tamen propugnatorum damno, altero in ejaculatione tormento diffracto, inceperant. Propugnatores egregie se tuentur; Croatiæ præfecti subsidia præstolantur, commeatuum inopia Turcas brevi, re infecta, discessuros rati: id unum tantum, ne quam avertere conatus fuerat hostis, aqua deficeret, verebantur. Eodem tempore lembi Turcarum aliquot Narenta amne emissi Macarscam usque, ut Saxo ac Salonæ præsto essent, se intulerant. Georgium Lencovichium cum quatuor Germanorum millibus Sennia ad opem obseffis ferendam adventurum ferebatur. Quapropter Maurus legatus, maritimo concilio vocato, cui Philippus Paschalicus, classis legatus, aliqui præfecti interfuere, quid eo rerum statu agendum sit, proponit. Convenere omnes, ut, in Jaderæ, Almissæ, ac Spalati propinquis locis classe retenta, per Reipublicæ ditiones Uscochis transitus intercluderetur; interimque impediendane an permittenda Clissæ subsidia forent, a Senatu peteretur. Iis cognitis, Clemens acriter expostulare cum Delphino legato cœpit: *triremium agmine arcis subsidia averti: sibi suadere non posse, eam in communium hostium potestatem Patres velle concedere: suppetias se laturum, ac tunc, quid statuerent, inspecturum.* Ad hæc legatus, *id pro certo affirmare se posse*, inquit, *nihil, nisi quod rationi, prudentiæ, religioni conveniat, Senatum decreturum: ea in re non tantum de Republica, quæ improviso ad ingentem impensarum molem, ad bellum cum potentissimo boste inopportuno tempore traberetur; sed de pontificiæ Sedis, atque adeo Italæ incolumitate agi, cuius maxime intersit, ut procul Turcarum arceantur armi, ne nimia propinquitate has regiones imminentiaque loca corripiant, ne Pannoniæ fines incendium illud egrediatur, longiusque promanet: in id*

omne